

tum verbum est genitus per intellectum aeterni Patris; sic poterit etiam circa Christum reduplicatio fieri ratione alicujus ipsi competentis scilicet humanitatis, ita ut quod convenit per se humanitati prædicetur de Christo sub reduplicazione humanitatis, sive qua homine & in hoc sensu, sicut verum est, quod Christus secundum humanitatem, sive ut homo, sit factus & natus ex Virgine, ita verum sit, quod secundum humanitatem sive ut homo sit Ens creatum.

DISPUTATIO XIII.

De Oratione, Adoptione & Prædestinatione Christi.

QUESTIO I.

An pro nobis eraverit & oret Christus?

DICO: Christo, secundum quod est homo & humanam voluntatem habens, competit orare. S. Th. hic Q. 21. a. 1. O.

Probatur: Oravit Christus quia homo in terris tum pro se tum pro nobis, & adhuc pro nobis orat in caelis; ergo competit Christo secundum humanitatem orare.

Ant. quoad primam partem constat ex variis Evangelii locis: ut Joan. 17. v. 1. *Pater venit hora, clarifica Filium tuum.* Luc. 21. oravit in horto pro se. Et Joan. 17. v. 9 ubi ait: *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo. sed pro iis, quos dedisti mihi.* Quod ita intelligendum, quod illa peculiari oratione non oravit pro mundo, sed pro solis Electis, aliàs etiam oravit pro mundo, sed aliter ac pro Electis: pro illis enim oravit, ut efficaciter illis

applicarentur merita sua, quo modo non oravit pro mundo. Oravit igitur Christus in terris, tum pro se, tum pro nobis quia homo: quia Christo non potest oratio convenire ratione Deitatis, sed tantum ratione humanitatis: cum enim oratio sit explicatio quaedam propriæ voluntatis apud Deum, ut ipse eam impleat, & Divina voluntas sit omnipotens, nec egeat alterius auxilio, non convenit eidem orare, sed voluntati humanæ. Ergo a voluntate humanâ Christi processit oratio & quidem dupliciter, vel à voluntate efficaciter, vel inefficaciter volente, hoc quod petebat. Oratio Christi profecta ex efficaci affectu impetrandi aliquid sibi vel aliis semper fuit exaudita, ut patet ex Joan. 11. v. 42. *Ego sciebam, quia semper me audis.* ad Hebr. 5. v. 7. *Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens exauditus est pro sua reverentia.* Ratio est: quia Christus nihil efficaciter oravit, nisi quod sciret, Deum efficaciter velle; quæ autem ex simplici tantum affectu, desiderio & voluntate antecedente profecta fuit, non semper fuit exaudita ut patet ex oratione in horto, quam ipse secundum voluntatem, ut ratio erat, volebat exaudiri, nec hinc infertur, ipsum inutiliter orasse: voluit enim se nobis in natura similem ostendere, suosque cruciatus patefacere & patientiæ exemplum præbere.

Secunda Pars Antecedentis etiam probatur ex S. Script. Joan. 14. v. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis.* Quod rectius post ascensionem intelligitur impletum. Rom. 8. v. 34. & Hebr. 7. v. 25. dicitur: Christus etiamnum pro nobis interpellare. Tum etiam quia hoc con-

venit

De C
venit Ch
num fun
involvit
dum vide
lo abject
hoc vide
Obj.
nus est h
dicimus:
nem com
Sanctos i
quens no
cedens.
De N
Ecclesiæ
quia sim
persona
exceller
gatur,

DIC
hic Q.
Prob
secundi
adopra
filium,
lis nate
ipso,
solo aff
Pro

DE ORAT. ADOPT. ET PRÆD. CHRISTI, 199
venit Christo ratione sui Pontificatûs, quo etiam-
num fungitur, ideoque nullam imperfectionem
involvit, & consequenter nec Christo denegan-
dum videtur. Attamen non utitur Christus in cæ-
lo abjecto & humili aliquo gestu in orando, cum
hoc videatur dignitatem ejus dedecere.

Obj. Si Christus adhuc pro nobis oret, quate-
nus est homo; ergo sicut Christo tanquam Deo
dicimus: Miserere nobis, ita eundem quâ homi-
nem compellare possumus illo, quo B. V. & alios
Sanctos invocamus: Ora pro nobis; sed conse-
quens non videtur admittendum; ergo nec ante-
cedens.

Re. Negando sequelam: Quia nec illud habet
Ecclesiæ consuetudo, ut vitetur hæresis Arrii, tum
quia simpliciter alloquendo Christum alloquimur
personam, quæ est Divina, tum denique, quia
excellentissimo titulo invocandus est ille, qui ro-
gatur.

Q U Æ S T I O II.

*An Christus sit Filius Dei naturalis an
adoptivus?*

DICO: Christus, qui est Filius Dei naturalis
nullo modo potest dici Filius adoptivus. S. Th.
hic Q. 23. a. 4. O.

Probatur 1. Ille, qui adoptatur in filium, non
secundum naturam, sed solo affectu, conjungitur
adoptanti: est enim adoptare optare aliquem in
filium, & velle, ut sit ejus filius, cum non sit ta-
lis naturaliter, sed alienus & extraneus; sed hoc
ipso, quod aliquis est filius naturalis, non potest
solo affectu conjungi generanti; ergo.

Probatur 2. Adoptivus filius est persona extra-

nea ab adoptante: cum juxta Jurisperitos adoptio sit gratuita & liberalis assumptio personæ extraneæ ad hæreditatem & esse filium dicatur de persona & supposito, cujus est generari, sed Christus qui est Filius Dei naturalis, etiam ut est homo, est ipsa persona verbi in naturâ humanâ subsistens: siquidem ut homo non dicit solam humanitatem, sed includit etiam suppositum, quod naturam reddit subsistentem; ergo non potest dici persona extranea, licet possit dici persona naturæ extraneæ; ergo non potest dici Filius Dei adoptivus.

Deinde Christus ratione unionis hypostaticæ habet Jus ab intrinseco ad Dei hæreditatem: nimirum ad visionem beatificam: cum illa humanitati verbo unitæ connaturaliter debita sit, sicut & gratia habitualis, aliæque virtutes & dona supernaturalia; ergo non gratis admittitur ad Dei hæreditatem.

Obj. 1. Gratia habitualis constituit Filium Dei adoptivum; sed in Christo est gratia habitualis; ergo fuit Filius Dei adoptivus.

R. Distinguendo Maj. Gratia habitualis constituit Filium Dei adoptivum, si reperiatur in subiecto capæi Con. si subiectum gratiæ adoptionis sit incapax, uti probatum est de Christo; N.

Obj. 2. Christus, ratione duplicis naturæ, est simul servus Dei naturalis, ut subsistens in naturâ humanâ, & supremus Dominus, ut subsistens in naturâ Divinâ; ergo poterit etiam esse simul Filius Dei naturalis & adoptivus ratione duplicis naturæ.

R. N. Consequentiam: Disparitas est, quia servitus & dominium dicuntur de supposito ratione naturæ, ut docet S. Th. hîc Q. 20. a. 1. ad 2. Filiatio autem non convenit ratione naturæ, cum natura non dicatur filia vel genita, sed immediate

com-

DE O
compara
genitum
cit, ad 3
lum resp
non potes
ratio.

Quisnam

Præd
L non
berantur
transmi
finem l
nempe
præordi
quod tr
Christu
Dei na
excelle
Præde
DIO

rum in
destina
prædest
nus pr
Dei na
Præ
prædest
2.
destina
præde
stinati

DE ORAT. ADOPT. ET PRÆD. CHRISTI. 201
comparatur ad suppositum, quod denominatur
genitum vel natum verba S. Th. sunt L. in Concl.
cit. ad 3. *Servitus vel subjectio ad Deum, non so-
lum respicit personam, sed etiam naturam: quod
non potest dici de filiatione, & ideo non est similis
ratio.*

Q U Æ S T I O III.

*Quisnam sit terminus primarius Prædestinationis
Christi?*

PRÆdestinatio juxta S. Aug. est præparatio Divi-
norum beneficiorum, quibus certissime li-
berantur, quicumque liberantur. Juxta S. Th. est
transmissio vel præordinatio creaturæ rationalis ad
finem supernaturalem; ad quod concurrunt tria:
nempe Deus præordinans. 2dò subjectum quod
præordinatur. 3tiò Terminus, sive illud, ad
quod transmittitur vel præordinatur. Certum est,
Christum esse à Deo præordinatum, ut esset Filius
Dei naturalis, ut esset beatus, ut haberet gratiam
excellentiæ, sed quæritur de Termino primario
Prædestinationis.

DICO: Oportet dicere, quòd ipsa unio natura-
rum in personâ Christi, cadat sub aternâ Dei præ-
destinatione: & ratione hujus Christus dicitur esse
prædestinatus, S. Th. hic Q. 24. a. 1. O. sive termi-
nus primarius prædestinationis Christi est filiatio
Dei naturalis, secundarius Visio beatifica.

*Prima Pars probatur ex illo Rom. 1. 4. Qui
prædestinatus est Filius Dei.*

2. Ratio est: Ille est terminus primarius præ-
destinationis Christi, qui est principaliter à Deo
prædestinante intentus & subsecutus ex ejus præde-
stinatione; atqui filiatio Dei naturalis est princi-

paliter intenta : quia maxima gratia , quæ Christo in tempore est data , & ad quam cæteræ gratiæ in Christo sunt connaturaliter consecutæ , fuit primario à Deo prædestinante intenta ; atqui gratia unionis vel filiatio Dei naturalis fuit maxima gratia , ad quam cætera dona & gratiæ in Christo sunt subsecutæ ; ergo illa fuit terminus primarius prædestinationis Christi.

Secunda Pars probatur : Gloria sive Visio beatifica , ad quam Christus est elevatus , est aliquod bonum spirituale ipsi à Deo concessum , & est minus principale . quàm filiatio Dei naturalis : hoc est enim aliquid Divinum per essentiam , illud autem est aliquid Divinum participativè ; ergo Christus est prædestinatus ad beatitudinem tanquam terminum secundariũ & minus principalem.

Obj. 1. Subjectum prædestinationis non debet terminum , ad quem habendum per prædestinationem à Deo ordinatur , includere , sed potius illum præsupponere ; sed filiatio Dei naturalis includitur intrinsecè in Christo ut homo est : quia Christus , ut homo , est suppositum verbi terminans humanitatem , vel est compositum ex substantia verbi & humanitate , & consequenter Christus , ut homo , includit filiationem Dei naturalem ; sicut igitur malè dicitur : Filius Dei naturalis prædestinatus est à Deo ad Dei filiationem naturalem , ità etiam malè dicitur : Christus prædestinatus est ad filiationem Dei naturalem.

Antequam ad hanc difficultatem respondeatur

Nota : Quod subjectum prædestinationis duo includat : Subjectum *quod* & Subjectum *quo* : subjectum *quod* est illud concretum , quod à Deo ad aliquod beneficium in tempore habendum præordinatur , & hoc in presenti est hic homo Christus.

Sub-

De C
Subjectu
præordi
bendam
tas, Si
cludit :
minus q
quod est
Dei natu
ralis con
Hoc nota
B. D
ination
Subjectu
quo salte
destinati
quod er
mino q
men req
quod ; v
videlicet
ctio vir
turam
termin
tum ve
Christu
stum ut
terveni
cientis
merent
Christu
disting
subject
Dei fili
subject
tus , i

Subjectum *quo* est illud, ratione cuius subjectum præordinatum est capax illius gratiæ, ad quam habendam ordinatur, & hoc in præsentem est humanitas. Similiter terminus prædestinationis duo includit: Terminum *qui*, & terminum *quo*; terminus *qui* est illud concretum, quod de subjecto *quod* est prædicabile, & hoc in præsentem est Filius Dei naturalis Christus. Terminus *quo* est formalis concreti, & hæc est ipsa filiatio naturalis. Hoc notato

§. Distinguendo Maj. Subjectum *quo* prædestinationis non debet includere terminum *quo* Con. Subjectum *quod* non debet includere terminum *quo* saltem inclusione reali N. sufficit enim ad prædestinationem Christi, quod subjectum illius *quo*, quod erat humanitas, distingueretur ab eius termino *quo*, qui erat filiatio Dei naturalis, non tamen requirebatur distinctio realis inter subjectum *quod*: videlicet hunc hominem, & terminum *qui*: videlicet Filium Dei naturalem, licet esset distinctio virtualis, quia suppositum verbi terminans naturam humanam est Filius Dei naturalis, & hic est terminus *qui* prædestinationis; & idem suppositum verbi terminans humanitatem vel hic homo Christus est subjectum *quod*: Unde sicut inter Christum ut hominem & Christum quatenus Deum intervenit sufficiens distinctio ad rationem satisficientis & creditoris, ad rationem præmiantis & merentis; ita etiam inter Christum ut hominem & Christum ut Deum & Dei filium naturalem sufficit distinctio virtualis ad hoc, ut quatenus homo sit subjectum *quod* prædestinationis, & ut Deus vel Dei filius naturalis sit terminus *qui* illius, & licet subjectum *quod* prædestinationis, hic homo Christus, includat realiter terminum prædestinationis

quo

quo vid. filiationem Dei naturalem vel substantiam verbi, non tamen includit formaliter: quia non includit illam sub munere filiationis Divinæ, sed in quantum est personalitas naturæ humanæ.

QUÆSTIO IV.

Quot modis Prædestinatio Christi sit causa nostræ Prædestinationis?

DICO I: *Potest Prædestinatio considerari secundum illud, ad quod aliquis prædestinatur, quod est prædestinationis terminus & effectus. Et secundum hoc prædestinatio Christi est exemplar nostræ prædestinationis. S. Th. hic Q. 24. a. 3. O.*

Probat 1. Ejus prædestinatio, qui est primus prædestinatorum, est exemplar prædestinationis omnium aliorum, primum enim in unoquoque genere est mensura cæterorum; sed prædestinatio Christi est primi prædestinatorum, unde Christus dicitur Primo Genitus ex mortuis, primus & novissimus; ergo.

Probat 2. Ratione S. Th. duplici ratione facta est nostræ prædestinatio ad instar prædestinationis Christi: primò, quia Christus prædestinatus est, ut sit filius Dei naturalis, nos autem prædestinati sumus, ut essemus adoptivi; sed filiatio naturalis est exemplar adoptivæ; ergo prædestinatio Christi est exemplar nostræ prædestinationis, unde Aug. de prædest. sanct. cap. 15. Christum appellat præclarissimum Lumen prædestinationis & gratiæ, in quantum per ejus prædestinationem & gratiam nostræ prædestinatio manifestatur, quod pertinet ad rationem causæ exemplaris.

Deinde: quia sicut Christus per gratuitam Dei voluntatem est Deus & homo simul, & humanitas assumpta est ad divinam naturam hoc sensu per gratiam

De
tiam, i
Dei grat
DICO
terminu
est causa
a. 4. O.
llus præ
& merit
Primo
nia vestr
tem Dei
tionem
propter
prædest
sicut &
Deum i
stinatus
gloria
rum o
accedi
assigna
stinati
Sec
est ca
destin
strume
justifi
Ter
bened
bus in
consti
nem f
verbi
nauatu
v. 9.

DE ORAT. ADOPT. ET PRÆD. CHRISTI. 405
tiam, ita nos ab æterno electi sumus ex meritiſſimâ
Dei gratiâ ad æternam gloriam.

DICO 2. Si consideretur prædestinatio secundum
terminum prædestinationis, sic prædestinatio Christi
est causa nostræ prædestinationis. S. Th. hic Q. 24.
a. 4. O. sive prædestinatio Christi aut potius Chri-
stus prædestinatus etiam est causa finalis, efficiens
& meritoria nostræ prædestinationis.

Prima Pars probatur: ex Apost. 1. Cor. 3. Om-
nia vestra sunt . . . vos autem Christi, Christus au-
tem Dei; per quæ verba secundum S. Th. exposi-
tionem significatur, quod sicut omnia sunt creata
propter prædestinatos, ita omnia creata & ipsi
prædestinati sunt propter Christum velut finem,
sicut & illa omnia, & ipse Christus sunt propter
Deum ut ultimum finem. Deinde Christus præde-
stinatus est caput omnium prædestinatorum; ergo
gloria omnium prædestinatorum ut membro-
rum ordinatur ad gloriam Christi ut Capitis.
accedit Con. Trident. Sess. 6. de Justif. cap. 7.
assignans Justificationis, quæ est effectus præde-
stinationis, causam finalem gloriam Dei & Christi.

Secunda Pars probatur: Christus prædestinatus
est causa efficiens omnium effectuum nostræ præ-
destinationis, ut Deus principaliter, ut homo in-
strumentaliter in nobis causans gratiam vocationis,
justificationis & glorificationis.

Tertia Pars probatur ex S. Script. Ehes. 1. Quis
benedixit nos in omni benedictione spiritali in celesti-
bus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi
constitutionem . . . qui prædestinavit nos in adoptio-
nem filiorum per Jesum Christum in ipsum, quibus
verbis causa nostræ salutis Christi merita esse insi-
nuatur; idem significat Apostolus 2. ad Timot. 1.
v. 9. Qui nos liberavit & vocavit vocatione sanctâ,

non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam, qua data est nobis in Christo Jesu. Consonat Trident. Sess. & cap. cit. causam meritoriam nostræ justificationis dicens Jesum Christum.

Pro coronide Q. An Humanitas Christi sit adoranda?

R. Affirmativè: & quidem non adoratione respectivâ, quâ adorandæ sunt res sacræ ob contactum, aut repræsentationem vel alium modum spacialem, ad Deum respectum habentes, sed absolutâ: quia est substantialiter unita Divinitati in eodem supposito, cum ergò adoratio referatur in ipsam humanitatem subsistentem, eâdem adoratione, quæ debetur Personæ divinæ, adoranda est humanitas.

DISPUTATIO XIV.

De Essentia Sacramentorum in genere.

Post consideratum Mysterium Dominicæ Incarnationis pergimus cum S. Thoma ad explicanda Sacramenta, per quæ velut instrumenta Virtus Incarnationis & Passionis Christi nobis applicatur, & in præsentî vita ad gratiam, in altera verò meliori ad gloriam æternam perducimur. Significabat autem hæc vox *Sacramentum* apud gentiles, ut videre est in Orat. Cicer. pro Milone pecuniam in loco sacro depositam, perdendam, si deponens causâ caderet. In Jure significat Juramentum, unde violatio Juramenti à juristis dicitur violatio Sacramenti; in Scriptura quandoque significat rem arganam: ut Sap. 6. v. 24. *Non abscondam à vobis Sacramenta Dei.* in eadem significatione sumitur
Tob.